



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

II. De immunitate ecclesiarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

132 CLEMENS CONCILIVM CAROLVS VI. IMP.
P.VI. ALPHONSVS XI. R. CASTELLÆ.

dos & in superiori parte laneos , nullatenus sericos ,
cum nigra & non alterius coloris fodratura porte-
mus. Qui vero secus facere præsumperit , tam-
quam inobediens & inhoneste incedens , mille
marabetinorum vñalis monetæ summam eo ipso
soluere teneatur , quorum tertia pars fabricæ ecclæ-
siæ suæ , alia pars denuntiatori , reliqua vero pars
redemptioni captiuorum irremissibiliter appli-
cetur.

II.

Ceterum quorumdam habet fida relatio , quod
nonnullæ ecclesiasticæ personæ ad obseruandam
cessationem diuinorum officiorum iuxta constitu-
tionem præfati domini legati , quæ incipit , *Quia*
cælestis , nimis promptæ , si aliquis excessus contra
ipsam constitutionem perpetratus dicatur , ces-
sant & cessare faciunt illico a diuinis : Nos salubri
meditatione considerantes quod huiusmodi cessa-
tionis tempore diuina organa suspenduntur , &
ecclesiastica sacramenta non vt solent ministran-
tur , fidelium deperit deuotio , & multiplican-
tur pericula animarum , eodem approbante Con-
cilio statuimus , quod si quis personas ecclesiasti-
cas lädere , aut capere , aut aliqua alia in prædicta
constitutione contenta attentare præsumperit , ad
cessationem & alias pœnas in dicta constitutione
contentas , nisi prius citato malefactore , si inueniri
& tute citari possit , alias in cathedrali vel parochiali
ecclesia malefactoris ecclesiastica citatrice publica-
ta , eius defensionibus , si quas legitimas habuerit , au-
ditis , si idem malefactor diffiteatur se in dictam

ANNO
CHRISTI
1347.

ANNO CHRISTI
1347. constitutionem incidisse , aut comparere noluerit,
& summaria cognitione præmissa culpabilis fuerit
inuentus, nullatenus procedatur, nisi adeo sit excessus
notorius , quod nulla possit tergiuersatione ce-
lari.

Rursus in prouinciali institutione per bonæ me-
moriæ dominum Eximinum archiepiscopum To-
letanum prædecessorem nostrum , quæ incipit , *Di-
uinis exemplis*, inter alia cautum esse nouimus, quod
raptores, inuasores, vaſtatores & deprædatores bo-
norum ecclesiarum , vel clericorum , aut vassallo-
rum ecclesiæ , qui bona prædicta ex proposito no-
cendi cum armis occupauerint vel rapuerint , seu
inuaserint violenter, aut ceperint vassallos ecclesiæ,
excommunicationem incurrant. Quia vero statu-
tum ipsum propter malitiam temporis tunc in-
stantis rationabiliter editum, nonnullis nimis rigo-
rosum videtur ; nos huiusmodi rigorem quoad
præmissos casus mansuetudine temperantes , eodem
approbante Concilio statuimus , quod si
præmissa vel aliquid præmissorum quisquam com-
misserit, requisitus per iudicem ecclesiasticum, si in-
ueniri & requiri possit ; alias requisitione in ca-
thedrali vel parochiali ecclesia ipsius malefactoris
publicata , infra quindecim dies a tempore prædi-
ctæ requisitionis inantea numerandos , captum a
captione liberare , & de illatis damnis emendam
competentem facere contempserit , eo casu & non
aliter excommunicationis sententiæ se nouerit sub-
iacere , vt sic eius insolentia reprimatur , aliis in di-
cta constitutione contentis in suo robore duraturis.

R. iii